



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

VI. De his qui in locis idolorum manducauerunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

ANNO  
CHRISTI  
314.

SILVESTER P. I. ANCYRANVM. CONSTANTINVS IMP. 61

V.

Quotquot autem ascenderunt templacum veste lugubri, & recumbentes inter alios manducauerunt, flentes; si compleuerint pœnitentiam triennii temporis, sine oblatione suscipiantur ad communionem, id est, vt ipsi oblationem non offerant. Si autem perducti ad templa, non manducauerunt, biennio maneant in pœnitentia. Tertio vero anno communicent, sed sine oblatione, vt dictum est. In quarto autem anno perfectionem suam recipient. Episcopum autem hanc habere licentiam oportet, vt perspecta singulorum conuersatione, normam regulamque conuersationis attribuat: id est, aut humanius agens, secundum vitæ modum, tempus alicui pœnitentiæ breuiet, aut etiam prolixius, quod correctione necessarium viderit, addat. Discutiatur autem omnium horum & præcedens vita, & posterior: & ita circa eos sacerdotalis se humanitas moderetur.

VI.

De his qui minis tantum cesserunt, aut bonorum ablatione, aut transportationis pœna deterriti \* sacrificauerunt, & nunc vsque non pœnituerunt, neque conuersi sunt; modo autem, id est, tempore huius Synodi se obtulerunt, conuersionis suæ consilium capientes: placuit eos vsque ad magnum diem inter audientes suscipi, ac pœnitentiam age-re triennio, & post duos alios annos sine oblatione communicare, & ita demum sex annis peractis, ad perfectum peruenire. Quod si aliqui ante hoc Concilium suscepti sint ad pœnitentiam, ex illo tempore

H iiij

\* a fide errauerunt.

imputabitur eis initium sexennii constituti. Quod <sup>ANNO  
CHRISTI  
314.</sup> si alicui horum quodlibet mortis periculum aut ex ægritudine , aut ex qualibet causa immineat , his communio propter viaticum suum non negabitur.

## VII.

De his qui festis diebus paganorum , in remotis locis eorum conuiuiis interfuerunt , & suas nihilominus epulas ibidem portauerunt & comedebant : placuit , vt post biennii pœnitentiam suscipiantur , ita tamen , vt vtrum cum oblatione recipiendi sint , an ad solam communionem admitti debeant , vnuſquisque Episcoporum examinet , vita eorum præteritæ ac præsentis habita consideratione.

## VIII.

Hi autem qui secundo & tertio sacrificauerunt , vi coacti , quatuor annis sese ad pœnitentiam submittant , duobus autem aliis sine oblatione communicent , septimo anno perfectionem recepturi communionis.

## IX.

Quotquot autem non solum a fide Dominica deuiarunt , sed etiam insurrexerunt in alios , & fratribus persuaserunt , & rei facti sunt persuasionis : hi per triennium quidem inter catechumenos habeantur , per aliud autem sexennium pœnitentiæ recipiant locum , alio vero anno , id est , decimo , communionem sine oblatione recipiant , vt completo decennio , perfectione fruantur. In eo autem ipso tempore etiam vita eorum & conuersatio consideranda est.